

44. *Idem*, lib. 2, ad Edictum ædilium curulium.

Justissime ædiles noluerunt, *hominem ei rei, quæ minoris*⁵¹ *esset, accedere*: ne qua fraus aut edicto aut juri civili fieret, ut ait Pedius, propter dignitatem hominum: alioquin eandem rationem fuisse, et in cæteris rebus: ridiculum namque esse, tunica fundum accedere. Cæterum hominis venditioni quidvis addicere licet: nam et plerumque plus in peculio est, quam in servo: et nonnunquam vicarius, qui accedit, pluris est, quam is servus qui venit. — § 1. Proponitur actio ex hoc edicto in eum, cujus maxima pars in venditione fuerit: quia plerumque venaliciarii ita societatem coeunt, ut quidquid agunt in commune videantur agere: æquum enim ædilibus visum est, vel in unum ex his, cujus major pars aut nulla parte minor esset, ædilitias actiones competere: ne⁵² cogatur emptor cum multis litigare: quamvis actio ex empto cum singulis sit proportione, qua socii fuerint: nam id genus hominum ad lucrum potius vel turpiter faciendum, pronius est. — § 2. In redhibitoria vel æstimatoria potest dubitari, an, quia alienum servum vendidit, et ob evictionem, et propter morbum forte, vel fugam simul teneri potest: nam potest dici nihil interesse emptoris, sanum esse, fugitivum non esse eum qui evictus sit? Sed interfuit emptoris, *sanum possedis*se propter operas: neque ex postfacto decrecat obligatio: statim enim ut servus traditus est, committitur stipulatio, quanti interest emptoris.

45. *Gaius*, lib. 1, ad Edictum ædilium curulium.

Redhibitoria actio duplicem habet condemnationem: modo enim in duplum, modo in simplum condemnatur venditor: nam si neque pretium, neque accessionem solvat, neque eum qui eo nomine obligatus erit liberet, dupli pretii, et accessionis condemnari jubetur: si vero reddat pretium et accessionem, vel eum qui eo nomine obligatus est liberet, simpli [videtur condemnari.]

46. *Pomponius*, lib. 18, ad Sabinum.

Cum mihi redhibeas *furtis noxisque solutum esse*, promittere non debes, præterquam quod jussu tuo fecerat, aut ejus cui tu eum alienaveris.

47. *Paulus*, lib. 11, ad Sabinum.

Si hominem emptum manumisisti⁵³, et redhibitoriam, et quanti minoris denegandam tibi Labeo ait: sicut duplæ actio periret: ergo et quod adversus dictum promissum sit, actio peribit. — § 1. Post mortem⁵⁴ autem hominis ædilitiæ actiones manent:

48. *Pomponius*, lib. 25, ad Sabinum.

Si tamen sine culpa actoris, familiæve ejus, vel procuratoris mortuus sit. — § 1. Audiendus est is, qui de vitio vel morbo servi querens retinere eum velit. — § 2. Non nocebit emptori, si sex mensium exceptione redhibitoria exclusus, velit intra annum æstimatoria agere. — § 3. Ei, qui servum vinctum vendiderit, ædilitium edictum remitti æquum est: multo enim amplius est id facere, quam pronunciare, *in vinculis fuisse*. — § 4. In ædilitiis actionibus exceptionem opponi æquum est, si emptor sciret de fuga, aut vinculis, aut cæteris rebus similibus, ut venditor absolvatur. — § 5. *Ædilitiæ actiones et heredi*⁵⁵, et in⁵⁶ heredem competunt: ut tamen et facta heredum, quæ postea accesserint, et quod experiri poterint, quarantur. — § 6. Non solum de mancipiis, sed de omni animali hæ [actiones] competunt: ita ut, etiamsi usumfructum in homine emerim, competere debeant. — § 7. Cum redhibitoria actione de sanitate agitur, permittendum est, de uno vitio agere et prædicere, ut, si quid aliud postea apparuisset, de eo iterum ageretur. — § 8. Similariarum venditionum causa ne sit redhibitio, in usu est.

49. *Ulpianus*, lib. 8 Disputationum.

Etiam⁵⁷ in fundo vendito redhibitionem procedere, nequaquam incertum est: veluti si pestilens⁵⁸ fundus distractus sit: nam redhibendus erit. Et benignum est dicere, vectigalis exactionem futuri temporis post redhibitionem adversus emptorem cessare.

50. *Julianus*, lib. 4, ex Minicio.

Variocosus sanus non est.

51. *Africanus*, lib. 8 Quæstionum.

Cum mancipium morbosum vel vitiosum servus emat, et redhibitoria vel ex empto dominus experiatur, omnimodo scientiam servi, non domini spectandam esse ait: ut nihil intersit, peculiari, an domini nomine emerit, et certum incertumve mandante eo emerit: quia [tunc] et illud

51. *Vide tamen* L. 54, in pr. supr. de contrah. empt. — 52. *Adde* L. 2, supr. de exercitor. act. — 53. L. 25, infr. de evict. — 54. L. 58, § 3, supr. l. 48, infr. h. t. — 55. L. 19, § 2, supr. cod. — 56. L. 25, § 5, supr. cod. — 57. L. 65, infr. cod. — 58. L. 4, C. de ædil. act. — 59. L. 51, § 1, supr. h. t. — 60. L. 5, in pr. C. de ædil. act. — 61. L. 19, in fin.;

ex bona fide est, servum, cum quo negotium sit gestum, deceptum non esse, et rursus delictum ejusdem, quod in contrahendo admiserit, domino nocere debet: sed si servus, mandatu domini, hominem emerit, quem dominus vitiosum esse sciret, non tenetur venditor. — § 1. Circa procuratoris personam, cum quidem ipse scierit morbosum, vitiosum esse, non dubitandum, quin, quamvis ipse domino mandati vel negotiorum gestorum actione sit obstrictus, nihilo magis eo nomine agere possit: at cum ipse ignorans esse vitiosum, mandatu domini qui id sciret emerit, et redhibitoria agat, ex persona domini utilem exceptionem ei non putabat opponendam.

52. *Marcellianus*, lib. 4 Regularum.

Si furtum domino servus fecerit, non est necesse, hoc in venditione servi prædicere, nec ex hac causa redhibitio est: sed si dixerit, *hanc furem*⁵⁹ *non esse*, ex illa parte tenebitur, quod dixit, promissive.

53. *Javolenus*, lib. 1, ex posterioribus Labeonis.

Qui tertiana, aut quartana febris, aut podagra vexarentur, quive comitiales morbum haberent, ne quidem his diebus quibus morbus vacaret, recte *sani* dicentur.

54. *Papinianus*, lib. 4 Responsorum.

Actioni redhibitorie non est locus, si mancipium bonis conditionibus emptum fugerit, quod⁶⁰ ante non fugerat.

55. *Idem*, lib. 12 Responsorum.

Cum sex⁶¹ menses utiles⁶², quibus experiendi potestas fuit, redhibitorie actioni præstantur, non videbitur potestatem experiendi habuisse, qui vitium fugitivi latens ignoravit: non idcirco tamen dissolutam ignorantem emptoris excusari oportebit.

56. *Paulus*, lib. 4 Quæstionum.

Latinus Largus: Quæro, an fidejussori emptiois redhiberi mancipium possit? Respondi: Si in universam causam fidejussor sit acceptus, putat Marcellus posse ei fidejussori redhiberi.

57. *Idem*, lib. 5 Quæstionum.

Si servus mancipium emit, et dominus redhibitoria agat, non aliter ei venditor daturus est, quam⁶³ si omnia præstiterit, quæ huic actioni continentur: et quidem solida, non peculio tenus: nam et si ex empto dominus agat, nisi pretium totum solverit, nihil consequitur. — § 1. Quod si servus⁶⁴ vel filius vendiderit, redhibitoria in peculium competit: in peculio autem et causa redhibitionis continebitur: nec nos moveat, quod, antequam reddatur servus, non est in peculio: non enim potest esse in peculio servus, qui adhuc emptoris est: sed causa ipsius redhibitionis in peculio computatur: igitur si servus, decem millibus emptus, quinque millibus sit, hæc quoque in peculio esse dicemus. Hoc ita, si nihil domino debeat, aut ademptum peculium non est. Quod si plus domino debeat, eveniet, ut hominem præstet et nihil consequatur.

58. *Idem*, lib. 5 Responsorum.

Quæro, an, si servus apud emptorem fugit, et in causa redhibitionis esse pronunciatus fuerit, non prius venditori restitui debeat, quam⁶⁵ rerum ablatarum a servo æstimationem præstiterit? *Paulus* respondit, venditorem cogendum non tantum pretium servi restituere, sed etiam rerum ablatarum æstimationem: nisi⁶⁶ si pro his paratus sit servum noxæ nomine relinquere. — § 1. Item quæro, si nolit æstimationem et pretia rerum restituere, an servus retinendus sit, et danda sit actio de peculio, vel de pretio redhibiti servi ex duplæ stipulatione? *Paulus* respondit, de pretio servi repetendo competere actionem, etiam ex duplæ stipulatione. De rebus per furtum ablati jam responsum est. — § 2. Servum dupla emi, qui rebus ablati fugit: mox inventus præsentibus honestis viris, interrogatus, an et in domo venditoris fugisset, respondit *fugisse*: quæro, an standum sit responso servi? *Paulus* respondit: Si et alia indicia prioris fugæ non deficiunt, tunc etiam servi⁶⁷ responso credendum est.

59. *Ulpianus*, lib. 74, ad Edictum.

Cum in ea causa est venditum mancipium, ut redhiberi debeat, iniquum⁶⁸ est, venditorem pretium redhibendæ rei consequi. — § 1. Si quis duos homines uno pretio emerit, et alter in ea causa est ut redhibeat, deinde petatur pretium totum, exceptio erit obijcienda: si tamen pars pretii petatur, magis dicitur, non nocere exceptionem: nisi forte ea sit causa, in qua, propter alterius vitium, utramque mancipium redhibendum sit.

L. 58, in pr. supr. h. t. l. 2, in pr. supr. quando de pecul. actio annal. — 62. L. 1, infr. de divers. temporal. præser. — 63. L. 51, § 8, supr. h. t. l. 78, § 2, supr. de contrah. empt. l. 15, § 8, supr. de act. empt. — 64. L. 25, § 4, supr. h. t. — 65. d. L. 25, § 8. — 66. L. 51, in pr. supr. cod. — 67. L. 7, infr. de probat. l. 7, infr. de testib. — 68. L. 14, infr. de except.

60. *Paulus*, lib. 69, ad Edictum.

Facta redhibitione, omnia⁶⁹ in integrum restituantur, perinde ac⁷⁰ si neque emptio, neque venditio interessit.

61. *Ulpianus*, lib. 80, ad Edictum.

Quotiens de servitute agitur, victus tantum debet præstare, quanti minoris emisit emptor, si scisset hanc servitutem impositam.

62. *Modestinus*, lib. 8 Differentiarum.

Ad res donatas⁷¹ edictum ædilium curulium non pertinere dicendum est: etenim quid se restitutum donator reponit, quando nullum pretium interveniat? Quid ergo, si res ab eo cui donata est, melior facta sit? nunquid quanti ejus qui meliorem fecit, interest, donator conveniatur? Quod minime dicendum est: ne eo casu liberalitatis suæ donator poenam patiar: itaque si qua res donetur, necesse non erit ea reponnere, quæ in rebus venalibus ædiles reponnere jubent: sane de⁷² dolo donator obligare se et debet et solet: ne, quod benigne contulerit, fraudis consilio revocet.

63. *Ulpianus*, lib. 4, ad Edictum ædilium curulium.

Sciendum est, ad venditiones solas⁷³ hoc edictum pertinere, non tantum mancipiorum, verum cæterarum quoque rerum⁷⁴. Cur autem de locutionibus nihil edicatur, mirum videbatur: hæc tamen ratio redditur: vel quia nunquam istorum de hæc re fuerat jurisdictio: vel quia non similiter locationes, ut venditiones, fiunt.

64. *Pomponius*, lib. 17 Epistolarum.

Labeo scribit, si uno pretio plures servos emisti, et de uno agere velis, [inter] æstimationem servorum proinde fieri debere, atque [ut] fieret in æstimationem bonitatis agri, cum ob evictam partem fundi agatur. — § 1. *Idem* ait, si uno pretio plures servos vendidisti, sanosque esse promisisti, et pars duntaxat eorum minus sana sit, de omnibus adversus dictum, promissum, recte agi. — § 2. *Ibidem* ait, errare et fugere jumentum posse, nec tamen erromet aut fugitivum esse agi posse.

65. *Venuleius*, lib. 5 Actionum.

Animi potius, quam corporis vitium est, [veluti] si ludos assidue velit spectare, aut tabulas pictas studiose intueatur, sive etiam mendax⁷⁵, aut similibus vitiis teneatur. — § 1. Quotiens *morbus soticus*⁷⁶ nominatur, eum significari *Cassius* ait, qui noceat: nocere autem intelligi, qui perpetuus est, non qui tempore finiatur. Sed morbum soticum eum videri, qui incidit in hominem, postquam is natus sit: *sontes* enim nocentes dici. — § 2. Servus tam *veterator*, quam *novitius* dici potest: sed *veteratorem*⁷⁷, non spatio serviendi, sed genere et causa æstimandum, *Cælius* ait: nam quicumque ex venalicio noviciorum emptus, alicui ministerio præpositus sit, statim eum veteratorum numero esse: *novitium* autem non tyrocinio animi, sed conditione servitutis intelligi. Nec ad rem pertinere, latine sciat, necne: nam nec ob id veteratorem esse, si liberalibus studiis eruditus sit.

TIT. II.

DE EVICTIONIBUS¹, ET DUPLÆ STIPULATIONE.

1. *Ulpianus*, lib. 28, ad Sabinum.

Sive tota res evincatur, sive pars², habet regressum emptor in venditorem: sed cum pars evincatur, si quidem pro indiviso [evincatur], regressum habet pro³ quantitate evictæ partis, quod si certus locus sit evictus, non pro indiviso portio fundi, pro bonitate⁴ loci erit regressus: quid enim, si, quod fuit in agro pretiosissimum, hoc evictum est; aut quod fuit in agro vilissimum? æstimabitur loci qualitas, et sic erit regressus.

2. *Paulus*, lib. 5, ad Sabinum.

Si duplæ⁵ non promitteretur, et eo nomine agatur, dupli condemnandus est reus.

3. *Idem*, lib. 10, ad Sabinum.

Cum in venditione servi peculium⁶ semper exceptum esse intelligitur, is homo ex peculio summam quandam secum abstulerat: si, propter hanc causam, furti cum emptore actum sit, non revertetur emptor ad

69. L. 21, in pr. l. 25, § 7, supr. h. t. — 70. d. L. 25, § 1. — 71. L. 65, infr. cod. — 72. L. 18, in fin. infr. de donat. — 73. *Vide tamen* L. 19, § 5, supr. h. t. — 74. L. 1, in pr. l. 48, § 6; l. 49, supr. cod.; l. 4, C. de ædil. act. — 75. L. 4, § 4, supr. h. t. — 76. L. 4, § 5, supr. cod.; l. 113, infr. de verb. sign. — 77. *Adde* L. ult. § 3, infr. de publican. — Tit. II. — 1. Lib. 8, C. 45. — 2. L. 57, § 2; l. 45, infr. h. t. — 3. L. 69, in fin. infr. cod. — 4. L. 45, infr. cod. — 5. L. 57, § 1, infr. cod. — 6. L. 29, supr. de contrah. empt., adde L.

venditorem ex stipulatione duplæ: quia furtis, noxisque solutum esse præstari debet venditionis tempore, hæc autem actio postea esse cœperit.

4. *Ulpianus*, lib. 52, ad Edictum.

Illud queritur, an is, qui mancipium vendidit, debeat fidejussorem ob evictionem dare, quem vulgo *auctorem secundum* vocant? Et est relatum, non⁷ debere: nisi hoc nominatim actum est. — § 1. Si impuberis nomine tutor vendiderit, evictione secuta, *Papinianus* lib. 3 Responsorum ait, dari in eum cujus tutela gesta sit, utilem actionem; sed adjicit, in id demum, quod rationibus ejus acceptolatum est: sed an in totum, si tutor solvendo non sit, videamus? Quod magis puto: neque⁸ enim male contrahitur cum tutoribus.

5. *Paulus*, lib. 55, ad Edictum.

Servi venditor *peculium accessurum* dixit: si vicarius evictus sit, nihil præstaturum venditorem Labeo ait: quia sive non fuit in peculio, non accesserit: sive fuerit, injuriam⁹ a iudice emptor passus est: aliter atque si nominatim, *servum accedere*¹⁰ dixisset: tunc enim præstare deberet in peculio eum esse.

6. *Gaius*, lib. 40, ad Edictum provinciale.

Si fundus venierit ex consuetudine ejus regionis in qua negotium gestum est, pro evictione caveri oportet.

7. *Julianus*, lib. 15 Digestorum.

Qui a pupillo substitutum ei servum emerit, agere cum substituto ex empto potest: et ex stipulatu de evictione, cum neutram earum actionum adversus pupillum habere potuerit.

8. *Idem*, lib. 15 Digestorum.

Venditor hominis emptori præstare debet, quanti ejus interest¹¹ hominem venditoris fuisse: quare sive partus ancillæ, sive hereditas quam servus jussu emptoris adierit, evicta fuerit, agi ex empto¹² potest: et sicut¹³ obligatus est venditor, ut præstet licere habere hominem quem vendidit, ita ea quoque, quæ per eum adquiri potuerunt, præstare debet emptori ut habeat.

9. *Paulus*, lib. 76, ad Edictum.

Si vendideris servum mihi Titii, deinde Titius heredem¹⁴ me reliquerit, Sabinus ait, amissam actionem pro evictione, quoniam servus non potest evinci: sed in ex empto actione decurrendum est.

10. *Celsus*, lib. 27 Digestorum.

Si quis per fundum, quem cum alio communem haberet, quasi solus dominus ejus esset, jus eundi, agendi, mihi vendiderit et cesserit, tenetur mihi evictionis nomine, cæteris non cedentibus.

11. *Paulus*, lib. 6 Responsorum.

Lucius Titius prædia in Germania trans Rhenum emit, et partem pretii intulit: cum in residuum quantitatem heres emptoris conveniretur, quæstionem retulit dicens, has possessiones ex præcepto principali partim distractas, partim veteranis in præmia assignatas: quæro, an hujus rei periculum ad venditorem pertinere possit? *Paulus* respondit, futuros casus evictionis post contractam emptioem ad venditorem non pertinere: et ideo secundum ea quæ proponuntur, pretium prædiorum peti posse. — § 1. Ex his verbis stipulationis duplæ vel simplæ, *eum hominem, quo de agitur, noxæ esse solutum*, venditorem conveniri non posse propter eas¹⁵ noxas, quæ publice coerceri solent.

12. *Scevola*, lib. 2 Responsorum.

Quidam ex parte dimidia heres institutus universa prædia vendidit: et coheredes pretium acceperunt: evictis his, quæro, an coheredes ex empto actione teneantur? Respondi, si coheredes presentes adfuerunt, nec dissenserunt, videri unumquemque partem suam vendidisse.

13. *Paulus*, lib. 5, ad Sabinum.

Bonitatis¹⁶ æstimationem faciendam, cum pars evincitur, *Proculus* recte putabat, quæ fuisset venditionis tempore, non cum evinceretur:

14. *Ulpianus*, lib. 18, ad Edictum.

Non in dimidiam quantitatem pretii.

15. *Paulus*, lib. 5, ad Sabinum.

Sed si quid postea alluvione¹⁷ accessit, tempus quo accedit inspicien-

16. § 2, infr. de publican. — 7. L. 57, in pr.; l. 56, in pr. infr. h. t. — 8. L. 12, § 1, infr. de admin. et peric. tut. — 9. L. 51, in pr. infr. h. t. — 10. L. 55, supr. de ædil. edict. — 11. L. 76, infr. h. t. — 12. L. 41, § 1, infr. cod. — 13. L. 11, § 2, supr. de act. empt. — 14. L. 41, § 1, infr. h. t. — 15. L. 17, § 18, supr. de ædil. edict. — 16. L. 14, L. 15, § 1; l. 45, l. 64, § 5, infr. h. t. — 17. L. 64, infr. cod.

dum. — § 1. Si ususfructus evincatur, pro bonitate fructuum aestimatio facienda est. Sed et si servus evincatur, quanti minoris ob id prædium est, lis aestimanda est.

16. POMPONIUS, lib. 9, ad Sabinum.

Evicta re vendita, ex¹⁸ empto erit agendum de eo quod accessit: quem admodum ea quæ empto fundo nominatim accesserunt, si evicta sint, simplum præstatur. — § 1. Duplæ stipulatio committi dicitur tunc, cum res restituta est petitori, vel damnatus est litis aestimatione¹⁹, vel possessor ab emptore conventus absolutus est. — § 2. Si servus, cujus nomine duplam stipulatus sumus, evictus fuerit a nobis ob id, quod fugitivus vel sanus non fuerit, an agere nihilominus possimus, quaeritur? Procul videndum ait, ne hoc quoque intersit, utrum tum evictus sit, cum meus factus non esset; an tum, cum meus factus esset: in eo enim casu cum meus factus est, statim mea interest, quanto ob id deterior est; et quam actionem semel ex stipulatu habere cepi, eam nec evictione, nec morte²⁰, nec manumissione, nec fuga²¹ servi, nec ulla simili causa amitti: at si in bonis meis factus non sit, nihil ob ea, quod fugitivus sit, pauperior sim, utpote cum in bonis meis non sit. Quod si sanum esse, *erronem non esse*, stipulatus essem, tantum mea interesse, quantum ad præsentem²² usum pertineret, tametsi in obscuro esset: utpote ignorantibus nobis, quoad eum habiturus essem, et an futurum esset, ut eum quisquam aut a me aut ab eo cui vendidissem, cuive similiter promissem, evinceret: summam autem opinionis suæ hanc esse, ut tantum ex ea stipulatione consequar, quanti²³ mea intersit, aut post stipulationem interfuerit, eum servum fugitivum non esse.

17. ULPIANUS, lib. 29, ad Sabinum.

Vindicantem²⁴ venditorem rem, quam ipse vendidit, exceptione doli posse summoveri, nemini dubium est, quamvis alio jure dominium quaesierit: improbe enim rem a se distractam evincere conatur: eligere autem emptor potest, utrum rem velit retinere, intentione per exceptionem elisa: an potius re ablata, ex causa stipulationis duplum consequi.

18. PAULUS, lib. 5, ad Sabinum.

Sed etsi exceptio omissa sit, aut opposita ea, nihilominus evictus sit, ex duplæ quoque stipulatione, vel ex empto potest conveniri.

19. ULPIANUS, lib. 29, ad Sabinum.

Sed et si stipulatio nulla²⁵ fuisset interposita, de ex empto actione idem dicemus. — § 1. Si homo liber, qui bona fide serviebat, venierit mihi a Titio; Titiusque eum heredem²⁶ scripserit, quasi liberum, et ipse mihi sui faciat controversiam: ipsum de se obligatum habebit.

20. POMPONIUS, lib. 10, ad Sabinum.

Fundum meum obligavi, deinde alienavi tibi: ut eo nomine non obligaberis, si eum postea abs te emam, et satis pro evictione mihi des, excipiendum cautione, quod pro me obligatus sit: quia etiam non excepto eo, agendo eo nomine contra te, doli mali exceptione possim summoveri.

21. ULPIANUS, lib. 29, ad Sabinum.

Si servus venditus decesserit²⁷, antequam evincatur, stipulatio non committitur: quia nemo eum evincit, sed factum humane sortis; de dolo tamen poterit agi, si dolus intercesserit. — § 1. Inde Julianus lib. 43 eleganter definit, duplæ stipulationem tunc committi, quotiens res ita amittitur, ut eam emptori habere non liceat propter ipsam evictionem²⁸. — § 2. Et ideo ait, si emptor hominis mota sibi controversia venditorem dederit procuratorem, isque victus litis²⁹ aestimationem sustulerit, stipulationem duplæ non committi: quia nec mandati actionem procurator hic idemque venditor habet, ut ab emptore litis³⁰ aestimationem consequatur. Cum igitur neque corpus, neque pecunia emptori absit, non oportet committi stipulationem: quamvis, si ipse iudicio accepto victus³¹ esset et litis aestimationem sustulisset, placeat committi stipulationem: ut et ipse Julianus eodem libro scripsit. Neque enim habere licet eum, cujus si pretium quis non dedisset, ab adversario auferretur: prope enim hunc ex secunda emptione, id est, ex litis aestimatione, emptori habere licet, non ex pristina. — § 3. Idem Julianus eodem libro scribit, si lite contestata fuerit homo culpa possessoris, damnatus quidem erit possessor, sed non statim eum ad venditorem regressurum, et ex duplæ stipulatione acturum: quia interim, non propter evictionem, sed propter fugam, ei hominem habere non licet:

18. L. 11, § 17, supr. de act. empt. — 19. L. 21, § 2, vers. quamvis, infr. h. t. — 20. L. 47, in fin. supr. tit. prox. — 21. L. 1, § 1, de edict. edict. — 22. L. 44, in fin. supr. de edict. edict. — 23. L. 3, in fin. C. de reb. alien. non alienand. — 24. L. 73, supr. de rei vind. L. 1, in pr. infr. Le except. rei vend. L. 10, supr. de distract. pign. L. 4, § 35, infr. de doli mali et met. except. d. 1, l. 2, C. de fisco rem quam vendidit evincit. — 25. L. 11, § 14, in fin. supr. de act. empt. — 26. Adde L. 7, supr. h. t. — 27. L. 26, C. cod.; L. fin. C. de adfert. tollend. — 28. L.

plane (inquit) cum adprehenderit possessionem fugitivi, tunc committi stipulationem (Julianus ait): nam et si sine culpa possessoris fugisset, deinde cautionibus interpositis absolutus esset, non alias committeretur stipulatio, quam si adprehensum hominem restituisset: ubi igitur litis aestimationem obtulit, sufficit adprehendere: ubi cavet, non prius nisi restituerit.

22. POMPONIUS, lib. 1, ex Plautio.

Si pro re pupilli, quam emit, litis aestimationem tutor non ex pecunia pupilli, sed ex suo³² præstiterit: stipulatio de evictione pupillo adversus venditorem committitur. — § 1. Si pro evictione fundi, quem emit mulier, satis accepisset, et eundem fundum in dotem dedisset, deinde aliquis eum a marito per iudicium abstulisset, potest mulier statim³³ agere adversus fidejussores emptionis nomine, quasi minore dotem habere cepisset, vel [etiam] nullam: si tantum maritus obtulisset, quanti fundus esset.

23. ULPIANUS, lib. 29, ad Sabinum.

Sed et si post mortem mulieris evincatur, regressus erit ad duplæ stipulationem: quia ex promissione maritus adversus heredes mulieris agere potest³⁴: et ipsi eum stipulatu agere possunt:

24. AFRICANUS, lib. 6 Questionum.

Non tamen ei consequens esse, ut [et] ipsi domino nuptura, in dotem eum dederit, committi stipulationem dicamus: quamvis æque indotata mulier futura sit: quoniam quidem etiamsi verum sit, habere ei non licere servum, illud tamen verum non sit, iudicio eum evictum esse: ex empto³⁵ tamen contra venditorem mulier habet actionem.

25. ULPIANUS, lib. 29, ad Sabinum.

Si servum, cujus nomine duplam stipulatus sis, manumiseris³⁶, nihil ex stipulatione consequi possis: quia non evincitur quo minus habere tibi liceat, quem ipse ante voluntate tua perdidit:

26. PAULUS, lib. 8, ad Sabinum.

Sed hoc nomine, quod libertum quis non habeat, ex vendito actionem habet, si scierit venditor, alienum se vendere. Sed et si ex causa fideicommissi emptor coactus³⁷ fuerit eum manumittere, ex empto actionem habebit.

27. POMPONIUS, lib. 11, ad Sabinum.

Hoc jure utimur: ut exceptiones ex persona emptoris objectæ si obstant, venditor ei non teneatur: si vero ad personam venditoris respiciant, contra: certe nec ex empto, nec ex stipulatione duplæ, nec simple, actio competit emptori, si exceptio [ei], ex facto ipsius opposita, obstiterit:

28. ULPIANUS, lib. 80, ad Edictum.

Sed si ex utriusque persona, et auctoris³⁸, et emptoris exceptiones obijciuntur, intererit, propter quam exceptionem iudex contra judicaverit: et sic, aut committitur, aut non committitur stipulatio.

29. POMPONIUS, lib. 11, ad Sabinum.

Si rem, quam mihi alienam vendideras, a domino redemerim, falsum esse quod Nerva respondisset, posse te a me pretium consequi ex vendito agentem, quasi habere mihi rem liceret, Celsus filius aiebat: quia nec bonæ fidei conveniret, et ego ex alia causa rem haberem. — § 1. Si duplæ stipulator, ex possessore petitor factus et victus sit, quam rem, si possideret, retinere poterit³⁹, peti autem utiliter non poterit, vel ipso jure promissor duplæ tutus erit, vel certe doli mali exceptione se tueri poterit: sed ita, si culpa⁴⁰, vel sponte duplæ stipulatoris possessio amissa fuerit. — § 2. Quolibet tempore venditori renunciari potest, ut de ea re agenda adsit: quia non præfinitur certum tempus in ea stipulatione: dum tamen ne⁴¹ prope ipsam condemnationem id fiat.

30. Idem, lib. 19, ad Sabinum.

Si emptori, qui stipulatus sit, *furtis noxisque solutum esse*, heres existit is cui servus furtum fecerit, incipit is ex stipulatu actionem habere, quemadmodum si ipse alii præstidisset.

31. ULPIANUS, lib. 42, ad Sabinum.

Si ita quis stipulanti spondeat, *sanum esse, furem non esse, vispellionem non esse, et cætera*: inutilis stipulatio quibusdam videtur: quia

27. infr. h. t. — 29. L. 66, § 2, infr. eod. — 30. L. 5, infr. pro emptore. — 31. L. 16, § 1, supr. h. t. — 32. L. 3, § 1, infr. de contrar. tutel. — 33. L. 75, infr. de iure dot. — 34. L. 1, C. d. t. — 35. L. 41, § 1, infr. h. t. — 36. L. 47, in pr. supr. de edict. edict. — 37. L. 24, § 1, infr. de fideicom. libert. — 38. *Vide tamen* L. 4, § 27, in pr. infr. de doli mali et met. except. — 39. L. 8, C. de prescrip. 30 vel 40 annor. — 40. L. 5, § 6, infr. si cui plus quam per leg. Falcid. — 41. Adde L. 5, in fin. C. de tempor. et reparation.

si quis est in hac causa, impossibile est quod promittitur; si non est, frustra est: sed ego puto verius, hanc stipulationem, *furem non esse, vispellionem non esse, sanum esse*, utilem esse: hoc enim continere quod interest, horum quid esse, vel horum quid non esse: sed [et] si cui horum fuerit adjectum *præstari*, multo magis valere stipulationem: alioquin stipulatio, quæ ab ædilibus proponitur, inutilis erit, quod utique nemo sanus probabit.

32. Idem, lib. 46, ad Sabinum.

Quia dicitur⁴², *quotiens plures res in stipulationem deducuntur, plures esse stipulationes*: an et in duplæ stipulatione hoc idem sit, videamus: cum quis stipulatur, *fugitivum non esse, erronem non esse*, et cætera quæ ex edicto ædilibus curulium promittuntur: utrum una stipulatio est, an plures? Et ratio facit, ut plures sint. — § 1. Ergo et illud procedit, quod Julianus libro 18 Digestorum scribit: Egit (inquit) quanti minoris propter fugam servi; deinde agit propter morbum: id agendum est (inquit) ne lucrum faciat emptor, et bis⁴³ ejusdem vitii aestimationem consequatur. Fingamus emptum decem; minoris autem empturum fuisse duobus, si tantum fugitivum esse scisset emptor: hæc consecutum propter fugam; mox comperisse, quod non esset sanus; similiter duobus minoris empturum fuisse, si de morbo non ignorasset: rursus consequi debet duo: nam, et si de utroque simul egisset, quatuor esset consecutus: quia eum forte, qui neque sanus, et fugitivus esset, sex tantum esset empturus. Secundum hæc sæpius ex stipulatu agi poterit: neque enim ex una stipulatione, sed ex pluribus agitur.

33. Idem, lib. 81, ad Sabinum.

Si servum emerit, et eundem vendidero, deinde emptori ob hoc fuero condemnatus, quia tradere non potui evictum, committitur stipulatio.

34. POMPONIUS, lib. 27, ad Sabinum.

Si mancipium⁴⁴ ita emeris, *ne prostituatur, et cum prostitutum fuisset, ut liberum esset*: si contra legem venditionis faciente te ad libertatem pervenerit, tu videris quasi manumisisse⁴⁵: et ideo nullum adversus venditorem habebis regressum⁴⁶. — § 1. Si communi dividundo mecum actum [esset], et adversario servus adjudicatus sit, quia probavit eum communem esse: habeo⁴⁷ ex duplæ stipulatione actionem: quia non interest, quo genere iudicii evincatur, ut mihi habere non liceat. — § 2. Duplæ stipulatio evictionem non unam continet, si quis dominium rei petierit et everit: sed et si Serviana actione experiatur.

35. PAULUS, lib. 2, ad Edictum ædilibus curulium.

Evictus autem a creditore tunc videtur, cum fere spes habenti abecissa est: itaque si Serviana actione evictus sit, committitur quidem stipulatio, sed quoniam soluta a debitore pecunia potest servum habere, si soluto pignore venditor conveniatur, poterit uti doli exceptione.

36. Idem, lib. 29, ad Edictum.

Nave aut domu empta, singula cæmenta vel tabulæ emptæ non intelleguntur: ideoque nec evictionis nomine obligatur venditor quasi evicta parte⁴⁸.

37. ULPIANUS, lib. 32, ad Edictum.

Emptori duplam promitti a venditore oportet, nisi aliud convenit⁴⁹: non⁵⁰ tamen ut satisfacatur, nisi specialiter id actum proponatur; sed ut reprimatur. — § 1. Quod autem diximus, *duplam promitti oportere*, sic erit accipiendum, ut non ex omni re id accipiamus, sed de his rebus, quæ pretiosiores essent: si margarita forte, aut ornamenta pretiosa, vel vestis serica, vel quid aliud non contemptibile veniat. Per edictum⁵¹ autem curulium etiam de servo⁵² cavere venditor jubetur. — § 2. Si simplam pro dupla per errorem stipulatus sit emptor, re evicta, consecutum eum ex empto Neratius ait, quanto minus stipulatus sit: si modo omnia facit emptor, que in stipulatione continentur: quod si non fecit, ex empto id tantum consecutum, ut ei promittatur, quod minus in stipulationem superiorem deductum est.

38. Idem, lib. 2 Disputationum.

In creditore, qui pignus vendidit, tractari potest, an re evicta vel ad hoc teneatur ex empto, ut quam habet adversus debitorem actionem, eam⁵³ præstet: habet autem contrariam pigneratitiam actionem? Et magis est, ut præstet: cui enim non æquum videbitur, vel hoc saltem consequi emptorem, quod sine dispendio creditoris futurum est?

42. L. 29, in pr. infr. de verb. oblig. — 43. L. 31, § 16, supr. de edict. edict. — 44. Tit. C. si mancip. ita venerit ne prostituatur. — 45. *Vide tamen* L. 10, § 1, supr. de in jus vocand.; L. 7, in pr. infr. de iure patronat. — 46. L. 25, supr. h. t. — 47. *Immo vide* L. 56, § 2, infr. eod. — 48. L. 56, § 2. — 49. L. 79, in pr. supr. de contrah. empt. — 50. L. 4, in pr. supr. h. t. — 51. L. 5, in fin. pr. infr. de verb. oblig. — 52. L. 31, § 20, supr. de edict. edict.

39. JULIANUS, lib. 57 Digestorum.

Minor vigintiquinque annis fundum vendidit⁵⁴ Titio: cum Titius Scio: minor se in ea venditione circumscriptum dicit; et impetrat cognitionem non tantum adversus Titium, sed etiam adversus Scium: Scius postulabat apud prætorem, utilem sibi de evictione stipulationem in Titium dari: ego dandam putabam. Respondi, justam rem Scius postulat: nam si ei fundus prætoris cognitione ablatu fuerit⁵⁵, æquum erit, per eundem prætorem et evictionem restitui. — § 1. Si servus tuus emerit hominem, et eundem vendiderit Titio, ejusque nomine duplam promiserit, et tu a venditore servi stipulatus fueris: si Titius servum petierit, et ideo victus sit, quod servus tuus in tradendo sine voluntate tua proprietatem hominis transferre non potuisset, supererit Publiciana actio, et propter hoc duplæ stipulatio ei non committitur: quare venditor quoque tuus agentem te ex stipulatu, poterit doli mali exceptione summovere. Alias autem si servus hominem emerit, et duplam stipuletur, deinde eum vendiderit, et ab emptore evictus fuerit, domino quidem adversus venditorem in solidum competit actio, emptori vero adversus dominum duntaxat de peculio. Denunciare vero de evictione emptor servo, non domino debet: ita enim evicto homine, utiliter de peculio agere poterit: sin autem servus decesserit, tunc domino denunciandum est. — § 2. Si a me bessem fundi emeris, a Titio trientem, deinde partem dimidiam fundi a te quis petierit: si quidem ex besse, quem a me acceperas, semis petitus fuerit, Titius non tenebitur: si vero triens, quem Titius tibi tradiderat, et sextans ex besse, quem a me acceperas, petitus fuerit: Titius quidem pro triente, ego pro sextante evictionem tibi præstabis. — § 3. Pater sciens filium suum, quem in potestate habebat, ignoranti emptori vendidit: quæsitum est, an evictionis nomine teneatur? Respondit: Qui liberum hominem sciens vel ignorans tanquam servum vendat, evictionis nomine tenetur: quare etiam pater, si filium suum tanquam servum vendiderit, evictionis⁵⁶ nomine obligatur. — § 4. Qui statuliberum⁵⁷ tradit, nisi dixerit *eum statuliberum esse*, evictionis nomine perpetuo obligatur. — § 5. Qui servum venditum tradit, et dicit⁵⁸ *usumfructum in eo Seii esse*, cum ad Sempronium pertineat, Sempronio usumfructum petente perinde tenetur, ac si in tradendo dixisset, *usumfructus nomine adversus Seium non teneri*: et si revera Seii ususfructus fuerit, legatus autem ita, ut cum ad Seium pertinere desisset, Sempronii esset, Sempronio usumfructum petente, tenebitur; Scio agente, recte defugiet.

40. Idem, lib. 58 Digestorum.

Si is, qui satis a me de evictione accepit, fundum a me herede legaverit, confestim fidejussores liberabuntur: quia etiam si evictus fuerit ab eo cui legatus fuerat, nulla adversus fidejussores actio est.

41. PAULUS, lib. 2, ad Edictum ædilibus curulium.

Si ei, cui vendidi et duplam promisi, cum ipse eadem stipulatione mihi cavisset, heres exstiterim: evicto homine, nulla parte stipulatio committitur: neque enim mihi evinci videtur, cum vendiderim eum; neque ei, cui me promissorem præstarem: quoniam parum commode dicit ipse mihi duplam præstare debere. — § 1. Item si domino servi⁵⁹ heres exstiterit emptor, quoniam evinci ei non potest, nec ipse sibi videtur evincere, non committitur duplæ stipulatio. His igitur casibus ex empto agendum erit. — § 2. Si is qui fundum emerit, et satis de evictione accepit, [et] eundem fundum vendiderit, emptori suo heres exstiterit; vel ex contrario, emptor venditori heres exstiterit: an evicto fundo, cum fidejussoribus agere possit quaeritur? Existimo autem, utroque casu fidejussores teneri: quoniam et cum debitor creditori suo heres exstiterit, ratio quædam inter heredem, et hereditatem ponitur: et intelligitur major⁶⁰ hereditas ad debitorem pervenire, quasi soluta pecunia, quæ debebatur hereditati: et per hoc minus in bonis heredis esse: et ex contrario, cum creditor debitori suo exstiterit heres, minus in hereditate habere videtur, tanquam ipsa hereditas heredi solverit. Sive ergo is qui de evictione satis acceperat, emptori cui ipse vendiderat, sive emptor venditori suo heres exstiterit, fidejussores tenebuntur: et, si ad eundem venditoris et emptoris hereditas reciderit, agi cum fidejussoribus poterit.

42. PAULUS, lib. 53, ad Edictum.

Si prægnans ancilla vendita et tradita sit, evicto partu, venditor non potest de evictione conveniri: quia partus venditus non⁶¹ est.

43. JULIANUS, lib. 58 Digestorum.

Vacca emptor, si vitulus, qui post emptionem natus est, evincatur,

— 53. L. pen. supr. de distract. pign. — 54. L. 15, § 1, supr. de minor. — 55. L. 15, supr. h. t. — 56. L. 4, infr. quib. ad libertat. — 57. L. 51, § 1; L. 59, in pr., § 1, § 2, infr. h. t. — 58. Adde L. 7, supr. de act. empt. — 59. L. 9, supr. h. t. — 60. L. 1, § 18, infr. ad leg. Falcid. — 61. *Immo vide* L. 1, § 1, vers. nec immerito infr. de inspie. ventre; L. 75, infr. de legat. 2.

agere ex duplæ stipulatione non potest: quia nec ipsa, nec usufructus evincitur: nam quod dicimus, *vitulum fructum esse vacca*, non jus, sed corpus demonstramus: sicuti prædiorum frumenta et vinum, fructum recte dicimus, cum constet, eadem hæc non recte usufructum appellari.

44. ALFENUS, lib. 2 digestorum a Paulo Epitomatorum.

Scapham⁶² non videri navis esse, respondit, nec quidquam conjunctum habere: nam scapham ipsam per se parvam naviculam esse: omnia autem, quæ conjuncta navi essent, veluti gubernacula, malus, antennæ, velum, quasi membra navis esse.

45. *Idem*, lib. 4 digestorum a Paulo Epitomatorum.

Qui fundum tradiderat jugerum centum, fines multo amplius emptori demonstraverat: si quid ex⁶³ his finibus evinceretur, pro bonitate⁶⁴ ejus emptori præstandum ait: quamvis id quod relinqueretur, centum jugera haberet.

46. AFRICANUS, lib. 6 Questionum.

Fundum, cujus usufructus Attii erat, mihi vendidisti, nec dixisti usufructum Attii esse: hunc ego Mævio, detracto usufructu tradidi: Attio capite minuto⁶⁵, non ad me, sed ad⁶⁶ proprietatem usufructum redire ait: neque enim potuisse constitui usufructum eo tempore, quo alienus esset: sed posse me venditorem te de evictione convenire: quia æquum sit, eandem causam meam esse, quæ futura esset, si tunc usufructus alienus non fuisset. — § 1. Si per alienum⁶⁷ fundum mihi viam constitueris, evictionis nomine te obligari ait: etenim quo casu, si per proprium constituentis fundum concessa esset via: recte constitueretur, eo casu, si per alienum concederetur, evictionis obligationem contrahit. — § 2. Cum tibi Stichum venderem, dixi, *eum statuliberum esse, sub hac conditione manumissum, si navis ex Asia venerit*: is autem, si Titius consul factus fuerit, manumissus erat: quærebatur, si prius navis ex Asia venerit, ac post Titius consul fiat, atque ita in libertatem evictus sit, an evictionis nomine teneatur? Respondit, non teneri eum: etenim dolo malo emptorem facere: cum prius exstiterit ea conditio, quam evictionis nomine exsolverit. — § 3. Item, si post biennium liberum fore dixi, qui post annum libertatem acceperit, et post biennium in libertate evincatur: vel decem dare jussum, *dixerim* quinque, et his decem datis, ad libertatem pervenerit: magis esse, ut his quoque casibus non teneat.

47. *Idem*, lib. 8 Questionum.

Si duos servos quinis a te emam, et eorum alter evincatur, nihil dubii fore, quin recte eo nomine ex empto acturus sim, quamvis⁶⁸ alter decem dignus sit: nec referre, separatim singulos, an simul utrumque emerim.

48. NERATIUS, lib. 6 Membranarum.

Cum [fundus], uti⁶⁹ *optimus maximusque [est]*, emptus est, et alicujus servitutis evicta nomine aliquid emptor a venditore consecutus est, deinde totus fundus evincitur: ob eam evictionem id præstari debet, quod ex duplo reliquum est: nam si aliud observabimus, servitutibus aliquibus, et mox proprietate evicta, amplius duplo emptor, quam [quanti] emit, consequeretur.

49. GAIVS, lib. 7, ad Edictum provinciale.

Si ab emptore usufructus petatur, proinde is venditori denunciare debet, atque is, a quo pars petitur.

50. ULPIANUS, lib. 25, ad Edictum.

Si pignora veniant per apparitores prætoris extra ordinem sententias sequentes, nemo inquam dixit dandam in eos actionem re evicta: sed si dolo rem viliori pretio proiecerunt, tunc de dolo⁷⁰ actio datur adversus eos domino rei.

51. *Idem*, lib. 80, ad Edictum.

Si⁷¹ per imprudentiam iudicis, aut errorem, emptor rei victus est, negamus auctoris damnum esse debere: aut quid refert, sordibus iudicis, an stultitia res perierit? injuria enim quæ sit emptori, auctorem non debet contingere. — § 1. Si Titius Stichum post mortem suam liberum esse jussum vendiderit, mortuo deinde eo Stichus ad libertatem pervenerit: an stipulatio de evictione interposita teneat? Et ait Julianus, committi stipulationem, quamvis enim Titius hoc casu denunciari pro evictione non potuisset, heredi tamen ejus denunciari potuisset. — § 2. Si quis locum vendiderit, et idem venditor ab herede suo, voluntate emptoris, in eo se-

62. L. ult. inf. de instr. vel instrum. legat. — 63. L. 10. C. h. t. — 64. L. 4. in fin. supr. eod. — 65. § 3. Inst. de usufr. — 66. L. 54. circa med. supr. d. 1. — 67. L. 35. § 2. supr. famul. ereisc. — 68. Adde L. 42. supr. de act. empt. — 69. L. 75. inf. h. t. L. 59. supr. de contrah. empt. L. 90. L. 126. L. 169. inf. de verb. sign. — 70. L. 5. § 8. supr. de negot. gesti. — 71. L. 5. supr.; L. 8. L. 15. C. h. t. — 72. d. L. 8. L. 20. C. eod.; L. 1. in fin. C. de

pultus fuerit, actio de evictione intercidit: hoc casu enim emptor proprietatem amittit. — § 5. Non mirum autem est, ut, evicto homine, de evictione teneatur heres, quamvis defunctus non similiter fuerit obstrictus: cum et aliis quibusdam casibus plenior adversus heredem vel heredi competat obligatio, quam competat defuncto: ut cum servus port mortem emptoris heres institutus est, jussuque heredis emptoris adiit hereditatem: nam actio ex empto præstare debet hereditatem, quamvis defuncto in hoc tantum fuit utilis ex empto actio, ut servus traderet. — § 4. Si plures mihi in solidum pro evictione teneantur, deinde post evictionem cum uno fuero expertus, si agam cum cæteris, exceptione me esse repellendum, Labeo ait.

52. *Idem*, lib. 81, ad Edictum.

Sciendum est, nihil interesse, ex qua causa duplæ stipulatio fuerit interposita, utrum ex causa emptioris, an ex alia, ut committi possit.

53. PAULUS, lib. 77, ad Edictum.

Si, fundo tradito, pars evincatur, si singula jugera venierint certo pretio, tunc non pro bonitate, sed quanti singula venierint, quæ evicta fuerint, præstandum; etiamsi ea, quæ meliora fuerunt, evicta sint. — § 1. Si cum possit emptor auctori denunciare, non⁷² denunciasset; idemque vic tus fuisset, quoniam parum instructus esset: hoc ipso videtur dolo fecisse et ex stipulatu agere non potest.

54. GAIVS, lib. 28, ad Edictum provinciale.

Qui alienam rem vendidit, post⁷³ longi temporis præscriptionem vel usucapionem desinit emptori teneri de evictione. — § 1. Si heres statuliberum, qui sub conditione pecuniæ dandæ liber esse jussus est, vendiderit, et majorem pecuniam in conditione esse dixerit, quam dare ei jussus est: ex empto tenetur: si modo talis est conditio, ut ad emptorem transiret, id est, si heredi dare jussus est servus: nam si alii dare jussus, quamvis veram pecuniæ quantitatem dixerit, tamen, si non admonuerit alii dare jussum, evictionis nomine tenebitur.

55. ULPIANUS, lib. 2, ad Edictum ædilium curulium.

Si ideo contra emptorem judicatum est, quod defuit: non committitur stipulatio: magis enim propter absentiam victus videtur, quam quod malam causam habuit. Quid ergo, si ille quidem, contra quem judicatum est, ad iudicium non adfuit; alius autem adfuit, et causam egit: quid dicemus? utputa acceptum quidem cum pupillo tutore auctore fuit iudicium, sed absente pupillo tutor causam egit, et iudicatum est contra tutorem: quare non dicemus committi stipulationem? etenim, actam esse causam, palam est: et satis est, ab eo, cui jus agendi fuit, causam esse actam. — § 1. Presenti autem venditori denunciandum est: sive autem absit, sive præsens sit, et per eum fiat, quo⁷⁴ minus denunciatur, committitur stipulatio.

56. PAULUS, lib. 2, ad Edictum ædilium curulium.

Si dictum fuerit vendendo, *ut simpla promittatur*, vel *triplum*, aut *quadruplum* promitteretur, ex empto perpetua actio agi poterit: non tamen⁷⁵, ut vulgus opinatur, etiam satisfacere debet qui duplam promittit: sed sufficit nuda promissio, nisi aliud convenerit. — § 1. Si compromiserit, et contra me data fuerit sententia, nulla mihi actio de evictione danda est adversus venditorem: nulla enim necessitate⁷⁶ cogente id feci. — § 2. In stipulatione duplæ, cum homo venditur, partis adjectio necessaria est: quia non potest videri homo evictus, cum pars⁷⁷ ejus evicta est. — § 3. Si, cum possit usucapere emptor, non cepit, culpa sua hoc fecisse videtur: unde, si evictus est servus, non tenetur venditor. — § 4. Si præsentem promissore, qui de evictione promissit, et non ignorante, procuratori denunciatum sit: nihilominus promissor tenetur. — § 5. Simili modo tenetur et qui curavit, ne sibi denunciari possit. — § 6. Sed et si nihil venditore faciente, emptor cognoscere, ubi esset, non⁷⁸ potuit, nihilominus committitur stipulatio. — § 7. Pupillo etiam sine tutoris auctoritate posse denunciari, si tutor non appareat, ex duplæ stipulatione, benignius receptum esse, Trebatius ait.

57. GAIVS, lib. 2, ad Edictum ædilium curulium.

Habere licere rem videtur emptor, et si is, qui emptorem in evictione rei vicerit, ante ablatam vel abductam rem sine successore decesserit: ita ut neque ad fiscum bona pervenire possint, neque privatim a creditori bus distrahi: tunc enim nulla competi emptori ex stipulatu actio: quæ rem habere ei licet. — § 1. Quod cum ita est, videamus, num, et si at

perita et commodo rei vend. — 73. L. 19. C. h. t.; L. 47. in fin. supr. mandati; L. 60. inf. de solution.; L. 2. in fin. C. de reb. alien. non alienand. — 74. L. 56. § 6. inf. h. t. — 75. L. 4. supr. eod. — 76. Fac. L. 17. C. eod. — 77. *Immo vide* L. 34. § 1. supr. eod. — 78. L. 55. in fin. supr. eod.

eo qui vicerit donata legatave res fuerit emptori, æque dicendum sit ex stipulatu actionem non nasci? Scilicet, si antequam abduceret vel auferret, donaverit aut legaverit: alioquin semel commissa stipulatio resolvitur non potest.

58. JAVOLENUS, lib. 1, ex Plautio.

Heres servum non nominatim legatum tradidit, et de dolo repromisit: postea servus evictus est: agere cum herede legatarius ex testamento poterit, quamvis heres alienum esse servum ignoraverit.

59. POMPONIUS, lib. 2, ex Plautio.

Si res, quam a Titio emi, legata sit a me: non potest legatarius conventus a domino rei venditori meo denunciari: nisi cessæ ei fuerint actiones, vel quodam casu hypothecas habet.

60. JAVOLENUS, lib. 2, ex Plautio.

Si in venditione dictum non sit, quantum venditorem pro evictione præstare oporteat: nihil venditor præstabit, præter simplam evictionis nomine, et ex natura ex empto actionis hoc, quod interest⁷⁹.

61. MARCELLUS, lib. 8 Digestorum.

Si, quod a te emi, et Titio vendidi, voluntate mea [Titio] tradideris⁸⁰: de evictione te mihi teneri, sicuti si acceptam rem tradidissem, placet.

62. CELSUS, lib. 27 Digestorum.

Si rem, quæ apud te esset, vendidisses tibi: quia pro⁸¹ tradita habetur, evictionis nomine me obligari placet. — § 1. Si ei, qui [mihi] vendidit, plures heredes exstiterunt: una de evictione obligatio est, omnibusque denunciari, et⁸² omnes defendere debent: si de industria non venerint in iudicium, unus tamen ex his liti substituit, propter denunciationis vigorem, et prædictam absentiam, omnibus vincit aut vincitur; recteque cum cæteris agam, quod evictionis nomine victi sint. — § 2. Si fundum, in quo usufructus Titii erat, [qui ei relictus est] *quoad vivet*, detracto usufructu ignorant mihi vendideris, et Titius capite deminutus fuerit; et agat Titius, jus sibi esse utendi fruendi: competit mihi adversus te ex stipulatione de evictione actio: quippe si verum erat, quod mihi dixisses in venditione, recte negarem, Titio jus esse utendi fruendi.

63. MODESTINUS, lib. 5 Responsorum.

Herennius Modestinus respondit, non obesse ex empto agenti, quod denunciatio pro evictione interposita non esset, si pacto ei remissa esset denunciandi necessitas. — § 1. Gaia Seia fundum a Lucio Titio emerat, et questione moia fisci nomine, auctorem laudaverat, et evictione secuta fundus ablati, et fisco adjudicatus est, venditor præsentem: queritur, cum emptrix non provocaverit, an venditorem poterit convenire? Herennius Modestinus respondit, sive quod alienus fuit, cum veniret, sive quod tunc obligatus, evictus est, nihil proponi, cur emptrix adversus venditorem actio non competat. — § 2. Herennius Modestinus respondit: Si emptor appellavit, et bonam causam vitio suo ex præscriptione perdidit, ad auctorem reverti non potest.

64. PAPINIANUS, lib. 7 Questionum.

Ex mille jugeribus traditis ducenta flumen abstulit: si postea pro indiviso ducenta evincantur, duplæ stipulatio pro parte quinta, non quarta, præstabitur: nam quod perit⁸³, damnum emptori, non venditori attulit. Si totus fundus, quem flumen diminuerat, evictus sit, jure non diminuetur evictionis obligatio: non magis, quam si incuria fundus, aut servus traditus, deterior factus sit: nam et e contrario non⁸⁴ augetur quantitas evictionis, si res melior fuerit effecta. — § 1. Quod si modo terre integro, qui fuerat traditus, ducenta jugera per alluvionem⁸⁵ accesserunt, ac postea pro indiviso, pars quinta totius evicta sit, perinde pars quinta præstabitur, ac si sola ducenta de illis mille jugeribus, que tradita sunt, fuissent evicta: quia alluvionis periculum non præstat venditor. — § 2. Quasi-tum est, si mille jugeribus traditis, perisset ducenta, mox alluvio per aliam partem fundi ducenta attulisset, ac postea pro indiviso quinta pars evicta esset: pro qua parte auctor teneretur? Dixi, consequens esse superioribus, ut neque pars quinta mille jugerum, neque quarta debeatur evictionis nomine: sed perinde teneatur auctor, ac si de octingentis illis residuis sola centum sexaginta fuissent evicta: nam reliqua quadraginta, quæ universo fundo decesserunt, pro rata novæ regionis esse intelligi. — § 3. Cæterum cum pro diviso pars⁸⁶ aliqua fundi evincitur, tametsi certus numerus jugerum traditus sit, tamen non pro modo, sed pro bonitate regionis præstatur evictio. — § 4. Qui unum jugerum pro indiviso solum

79. L. 70. inf. eod. — 80. L. 35. in pr. inf. de solution. — 81. § 44. Inst. de rer. divis. L. 77. supr. de rei vind. L. 9. § 1. supr. de Publician.; L. 21. in fin. inf. de acquir. rer. domin. L. 3. § 20. inf. de acquir. vel amit. possess. — 82. L. 85. § 5. inf. de verb. oblig. — 83. L. 70. in fin. inf. h. t. L. 45. in pr. supr. de act. empt. — 84. *Immo vide* d. L. 70. — 85. L. 15. in

habuit, tradidit: secundum omnium sententias non totum dominium transulit, sed partem dimidiam jugeri: quemadmodum si locum certum, aut fundum similiter tradidisset.

65. *Idem*, lib. 8 Questionum.

Rem hereditariam pignori obligatam heredes vendiderunt, et evictionis nomine pro partibus hereditariis sponponderunt: cum alter pignus pro parte sua liberasset, rem creditor evicit: quærebatur, an uterque heredum conveniri possit? Idque placebat, propter indivisam⁸⁷ pignoris causam; nec remedio locus esse videbatur, ut per doli exceptionem actiones ei, qui pecuniam creditori dedit, præstarentur: quia non duo rei facti proponerentur; sed familiæ⁸⁸ eriscundæ iudicium eo nomine utile est: nam quid interest, unus ex heredibus in totum liberaverit pignus, an vero pro sua duntaxat portione, cum coheredis negligentia damnosa non debet esse alteri?

66. *Idem*, lib. 28 Questionum.

Si, cum venditor admonuisset emptorem, ut Publiciana potius, vel ea actione, quæ de fundo vectigali proposita est, experiretur, emptor id facere supersedit, omnimodo nocebit ei dolus suus, nec committitur stipulatio. Non idem in Serviana quoque actione probari potest: hæc enim etsi⁸⁹ in rem actio est, nudam tamen possessionem avocet, et, soluta pecunia venditori, dissolvitur: unde fit, ut emptori suo nomine non competat. — § 1. Si is qui, reipublicæ causa afit, fundum petat, utilis possessor pro evictione competit actio. Item, si privatus a milite petat, eadem æquitas est emptori restituendæ pro evictione actionis. — § 2. Si secundus emptor venditorem eundem emptorem ad litem hominis dederit procuratorem, et non restituito eo damnatio fuerit secuta: quodcumque ex causa iudicati præstiterit procurator, ut in rem suam datus, ex stipulatu consequi non poterit; sed quia damnum evictionis ad personam pertinuit emptoris, qui mandati iudicio nihil percepturus est, non inutiliter ad percipiendam⁹⁰ litem æstimationem agatur ex vendito. — § 3. Divisione inter coheredes facta, si procurator⁹¹ absentis interfuit, et dominus ratam habuit, evictis prædiis in dominum actio dabitur, que daretur in eum qui negotium absentis gessit, ut, quanti⁹² sua interest, actor consequatur: scilicet ut melioris, aut deterioris⁹³ agri facti causa, finem pretii, quo fuerat tempore divisionis æstimatus, deminuat vel excedat.

67. *Idem*, lib. 10 Responsorum.

Emptori post evictionem servi, quem dominus abduxit, venditor eundem servum post tempus offerendo, quo minus præstet quod emptoris interest, non recte defenditur.

68. *Idem*, lib. 41 Responsorum.

Cum ea conditione pignus distrahitur, *ne quid evictione secuta creditor præstet*; quamvis pretium emptor non solverit, sed venditori caverit, evictione secuta nullam emptor exceptionem habebit, quo minus pretium solvat. — § 1. Creditor, qui pro pecunia nomen debitoris per delegationem sequi maluit, evictis pignoribus, que prior creditor accepit, nullam actionem cum eo qui liberatus est, habebit.

69. SCEVOLA, lib. 2 Questionum.

Qui libertatis causam exceptit in venditione, sive jam tunc, cum traderetur, liber homo fuerit, sive conditione, quæ testamento proposita fuerit, impleta ad libertatem pervenerit, non tenebitur evictionis nomine. — § 1. Qui autem in tradendo *statuliberum* dicit, intellegitur hanc speciem duntaxat libertatis excipere, quæ ex testamento impleta conditione ex præterito possit obtingere: et ideo si præsens testamento libertas data fuerit, et venditor statuliberum pronuntiavit, evictionis nomine teneatur. — § 2. Rursus qui statuliberum tradit, si certam conditionem pronuntiaverit, sub qua dicit ei libertatem datam, deteriorem conditionem suam fecisse existimabitur: quia non omnem causam statuta libertatis, sed eam duntaxat quam pronuntiaverit, excepisse videbitur: veluti si [quis] hominem dixerit *decem dare jussum*, isque post annum ad libertatem pervenerit, quia hoc modo libertas data fuerit, *Stichus post annum liber esto*, evictionis obligatione tenebitur. — § 3. Quod ergo? qui jussum *decem dare* pronuntiat⁹⁴ viginti dare debere, nonne in conditionem mentitur? Verum est, hunc quoque in conditionem mentiri: et ideo quidam existimaverunt, hoc quoque casu evictionis stipulationem contrahi: sed auctoritas Servii prævaluit, existimantis hoc casu ex empto actionem esse: videlicet quia putabat eum, qui pronuntiasset *servum viginti dare jussum*, conditionem excepisse quæ esset in dando. — § 4. Servus *rationibus redditus, liber esse jussus est*: hunc heres tradidit, et

pr. supr. h. t. — 86. L. 1. supr. eod. — 87. L. 1. L. 2. C. si unus ex plurib. hered. — 88. L. 25. § 15. supr. famul. ereisc. — 89. L. 17. supr. de pignorib. — 90. L. 21. § 2. supr. h. t. — 91. L. 67. supr. de procur.; L. 15. § 25. supr. de act. empt. — 92. L. 70. inf. h. t. — 93. d. L. 70. — 94. L. 10. inf. de statulib.